

A 231
5

Aufg. Sammelbd. 2. Bd.

Hist.

III. c. 0.

2 13
I. N. J.
DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA
DE
THEOCRATIA
ISRAELITARUM,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI PRUSSIAE, ELECTORATUS ET PROVIN-
CIAR. BRANDENBURG. HÆREDE. &c. &c. &c.
CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,

P R Æ S I D E
M. GEORGIO *Schultz*
REGIOM. PRUSS.

Eruditorum Examinei subjecit,
CHRISTIANUS HEIN, Reg. Pruss.

A. & R.
Anno M DCC VI die Mart.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

PRÆ-NOBILISSIMO, EXCELLENTIS-
SIMO, AMPLISSIMO atq; CONSULTISSIMO

DN. ERNESTO
FRIDERICO

Hehr/

S. R. M. IN PRUSSIA CONSILIARIO
AULICO, ET SUPREMO INTIMI STATUS BORUSS.
SECRETARIO LONGE MERITISSIMO,

PATRONO AC MOECENATI SUO SUMMIS
HONORIBUS COLENDO,

Viles hafce pagellas in grati
animi tesseram cum devoto om-
nigenæ prosperitatis votô

humillimè offert.

CHRISTIANUS HEIN,

A. & R.

§. I.



Um omnem divisionem membrum quam fieri potest paucissimis constare oporteat, quippe quæ non ad confusionem sed accuratorem scientiam gignendam inventa est; nos prolixam nonnullorum in tradendâ Rerumpublicarum divisione subtilitatem, quâ Timocratias, Dynastias & alias species comminiscuntur, flocci facientes, receptam Aristotelis trichotomiam sufficientem & perfectam prædicare neutiquam dubitamus. Si enim certum est, formam Reipublicæ ab imperantibus, qui summâ gaudent potestate petendam esse, haud difficulter exinde cognoscitur, tres dari Rerumpublicarum species, quoniam tres sunt imperantium ordines. Est verò summa potestas vel penes unum, & tum dicitur Regnum, in quò unus imperat ad communem omnium utilitatem; vel penes paucos eosque optimates ad commune bonum, quæ forma imperii Aristocratia vocatur, vel denique penes multitudinem communis utilitatis gratiâ, quæ Politia seu Respublica speciatim & κατ' ἐξοχήν sic dicta nominari solet. His rectis totidem oppositæ sunt pravæ Rerumpublicarum species, utpote in quarum administratione privatum imperantium commodum intenditur, suntque Tyrannis, Oligarchia & Democratia, docente nos ita Philosopho hæc verbis, *Quoniam civitatis administranda forma & civitatis administranda ratio idem significant; civitatis autem administranda ratio est id, quod in civitatibus dominatur, summamq; autoritatem obtinet: necesse est autem dominatum atque autoritatem obtinere aut unum, aut paucos, aut multos: ubi quidem aut unus, aut pauci aut multi spectantes utilitatem communem civitati præsent, has civitatis administrande formas rectas esse necesse est: Ubi verò vel unius, vel paucorum, vel multitudinis utilitas spectat*

A 2

spectat

speçtatur, deflexiones ac digresiones à rectis. Consecvimus autem appellare unius principatum, cum qui utilitati communi consulit, Regnum, potestatem autem paucorum virtute præditorum quidem, sed plurimum unò, Aristocratiam, ubi verò multitudo civitatis administrationem ad communem utilitatem confert, communi omnium civitatis administranda formarum nomine appellatur. Lib. III. Polit. c. VII. Sed præter has simplices Rerumpublicarum species, dari adhuc Rempubl. Mixtam haud pauci magni nominis Politici asserunt, quorum rationes adducere possemus, nisi idipsum ab instituto nostrò hac vice esset alienum. Conferantur interea. Casus Lib. IV. Polit. c. 3. Arnisæus in Relect. Polit. Lib. II. c. 6. Besoldus in dissert. de Stat. Reip. Mixt. Stahlius in II. Orat. de illà habitis. Felvingertus dissert. Polit. VIII. de Rep. Mixt. Cellarius Lib. II. Polit. c. 6. Conring de Rebusp. in gen. th. 48. & seq. & alii. Consideratis itaque Rerumpublicarum speciebus, non incongruè quæritur, an ad illarum aliquam referri possit Respublica Israelitarum ab exitu ex Ægypto ad tempora Saulis speçtata? Et de hâc controversiâ in præsentî dissertatîone paucis agere nobis placet, antequam verò eandem aggrediamur, quomodo de hâc quæstione eruditi inter se disceptent ac digladiantur, explicabimus.

§. II. Initio quidam Monarchiam fuisse contendunt, ita sentit Bellarminus, cujus hæc sunt verba: *Gubernatio Hebræorum non fuit Aristocratiæ ac Politicæ vicina, sed planè Monarchia.* Lib. I. de Rom. Pontif. c. 7. p. m. 131. In eandem sententiam inclinant Bodinus Lib. VI. de Rep. c. 4. & Tholosanus Lib. V. de Rep. c. 3. n. 15. Menochius Instit. Polit. Lib. I. c. 4. §. 5. imprimis autem pro Monarchiâ tanquam pro aris & focis pugnat Adrianus Houtuyn, Jctus Batavus in libello de Monarchia Hebræorum. Aliis ad Aristocratiam revocare placet, horum iudicio subscribit Sigonius, ita differens: *Cum de forma*

5

*mã Reipublica queritur nihil aliud queritur, nisi penes quem principatum summa rerum fuerit constituta. Hec vero apud Hebræos primum penes Optimates posita fuit, deinde penes reges, quorum principatum illum Aristocratiam, hunc Regnum Græci vocarunt. Aristocratia fuit sub Mose, Senioribus & Judicibus; regnum sub regibus. Lib. I. de Rep. Fbr. c. 5. idem statuunt Petrus Galatinus Lib. IV. de Arcan. Cath. Verit. c. 5. Schikardus de Jur. Reg. c. XI. §. 2. item Arniseus Lib. II. Relect. Polit. c. 4. Sect. 5. p. m. 760. & Besoldus in disp. de Arist. & Democr. Civit. forma. Nonnulli malunt Democratiam vocare, sed quæ sæpè indueret faciem similem illi regno, quod Aristoteli III. Polit. c. 14. Heroicum dicitur, teste Adamo Rechenberg. Dissert. Histor. Polit. XIII. §. 33. Alii rursus statum Israelitarum ex monarchiã & Aristocratiã mixtum fuisse asserunt, velut Zepperus in Explan. Leg. Mosaic. Forens. c. 5. & alii. Denique sunt, qui peculiarem planè huic administrationi quærunt formam, ab omnibus aliis diversam, quam Theocratiam vocant, hac voce ejusmodi Rempublicam, cujus præses rectorque solus Deus sit, indigentes. Huic posteriori sententiæ & nos adstupulamur, dicendo, Rempublicam Israelitarum à peregrinatione ex servitute Ægyptiacã ad Saulis usque tempora nec ad Monarchiam, nec Aristocratiam, nec Democratiam, nec ad Rempubl. mixtam *ἀρχιθεσπρω* loquendo referri posse, sed potius peculiarem quandam formam constituere nempe Theocratiam.*

§. III. Cum verò disputaturos unum quid intelligere oporteat, circa quod nempe ferram contentionis reciprocant ipso Philosopho id asserente XIII. Metaph. V. *Oportet nomen unumquodq. notum esse, & aliquid significare, nec multa sed unum: Quod si plura significet, manifestare ad quod eorum nomen fert;* Tenendum est, nos hoc loco non intelligere Theocratiam generaliter sic dictam, quæ à Spencero dissert. de

Theocr. Jud. Lib. I. c. 1. describitur, quod sit ea, *quae jure creationis omnipotentiaq. sua Deo competit, quamq. in omnes creaturas à primâ rerum origine naturaliter exercuit, & ad finem usq. seculi potentissimè exercēbit*; Sed specialiter sumptam, *quam inter Israëlitas Deus tenebat jure solennis pacti, quò & nomen regis & rerum omnium arbitrium Deo committebatur*, ut Idem loquitur l. c. Ostensuri itaque sumus Theocratiam speciale n seu Civilem ab eo tempore, quo Judæi ex servitute Ægyptiacâ egressi sunt ad Saulis usque ætatem inter ipsos obtinuisse, eumque Reipubl. statum minus accurate ab aliis ad formas Rerump. ab Aristotele descriptas referri. In quem finem notari merentur verba Josephi Lib. II. contra Appion. *Ἰσχυροὶ μὲν αἱ κτ μέρῳ τῶν ἔθνῶν καὶ τῶν νόμων ὡς τοῖς ἀπαιτοῖν αἰσχροῖσι Δημοκρασί. Οἱ μὲν γὰρ μοναρχίας, οἱ δὲ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ ταῖς πλείστον ἀπέχεσθαι τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων. Οἱ δὲ ἡμέτεροι νομοθέτης εἰς μὲν τῶν ἄλλων ἔδοξεν ἀπειθεῖν, ὡς δ' ἂν τις ἐπιτο βρασιόμενοι τῶν λόγων, θεοκρατίαν ἀπέπειν τὸ πολίτευμα, Θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴν δαρχὴν καὶ τὸ κέρδι ἀναθεῖν, h. e. Innumera sunt particulatim gentium & morum apud omnes homines differentie; alii siquidem Monarchiis, alii Oligarchiis, alii verò Democratiis Republicæ potestatem commiserunt: Noster autem legislator, nil horum intendens, politiam nostram θεοκρατίαν (divinum imperium) declaravit, Deo præcipuè principatum assignans & potentiam.*

§. IV. Probamus autem sententiam nostram ex iis scripturæ locis, in quibus Deus Rex Israelis disertè dicitur. Etenim cum Israëlita à Samuele regem poscerent, qui ipsis præesset, quemadmodum finitimæ gentes habebant, his verbis: *Constituē nobis regem, ut judicet nos, ut univēse habent rationes; Ille subito Deum consuluit, qui huncce in modum respondit: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. I. Sam. VIII. Ex quibus doctissimus Conringius sic infert: Regnaverat igitur ipse Deus*
in

7
in Israhelica gente, antequam proprie dictus rex ex hominibus con-
stitueretur: & eo modo postea non regnabat Deus, cum ex homini-
bus Ebrais rex esset datus dissert. de Rep Ebr. §. 13. p. 116. Idem
innuere videtur Samuel I. Sam. XII, 12. inquires: *Cum videre-
tis Nahasum Ammonitarum regem bello vos appetentem, dicetis
mibi: Non tu, sed rex nobis dominabitur, cum tamen ipse Jeho-
vab vester rex esset.* Huc etiam applicari possunt verba Gi-
deonis oblata sibi & posteris suis à populo regiam potesta-
tem deprecantis; Cum enim Israelitæ Gideoni dicerent: *Do-
minium habe in vos tum tu, tum filius tuus, quia servasti nos è ma-
nu Midianitarum;* ipse regessit: *Non habebit ego Dominium in
vos, neq. filius meus habebit Dominium in vos: Jehovah habiturus
est Dominium in vos* Jud. IX. in quæ verba Sebastianus Schmi-
dius sic commentatur: *Loquitur Gideon de jure, quod Deus ser-
vavit in ordinatione Republicæ Israeliticæ, quippe in quâ ipse Jehovah
se regem populi sui fecit, nec homines esse reges voluit: hujus di-
vine voluntatis & juris non tantum ipse Gideon pie recordatus est,
sed Israelitis etiam in memoriam revocavit.* Comment. in h. J. p. 75.

§. V. Ut autem plenius cognoscamus Deum populi Ju-
daici regem fuisse, ad Jura, ut vocant, Majestatis respicien-
dum est. Hæc enim quoniam in Republ. Judaica soli Deo
reservata erant, ipsum quoq; solum regem fuisse negari ne-
quit. Licet autem magna sit inter Politicos sententiarum di-
versitas in recensendis Majestatis juribus, adeo ut quot capi-
ta, tot ferè occurrant opinionum varietates, plures tamen ce-
leberrimi Philosophi, interq; eos Exc. Dn. Prof. Rabe septem
numerant sequentia: *Veluti sunt (1) potestas condendarum le-
gum. (2) Jurisdictio sine provocatione. (3) potestas constituendi
magistratus. (4) Jus vectigalia & tributa exigendi. (5) Jus rei
nummaria & monetaria. (6) Jus viarum publicarum & flumi-
num navigabilium. (7) Jus belli & pacis.* Curs. Phil. p. 739. Nos
hâc vice brevitate studiosi tantum secundum tria majestatis
jura,

8
 jura, utpote quæ summa potestatis quasi *ἡγεμονία* sunt, in quibus ea quam maximè sita invenitur, scilicet leges condere, magistratus constituere, & bellum indicere, asserente Zieglero de Jur. Maj. p. 82. Theocratiam in populo Israelitico obtinuisse, illaque tria majestatis jura Deum O. M. immediate exercuisse demonstrabimus, quâ in re præeuntem habemus laudatum Dn. Conringium, sic differentem: *Omnis quidem potestas, quæ civitates moderatur præcipue Deo T. O. M. ab illis, qui eam obtinent, accepta est ferenda, juxta illud gentium Doctoris; ἡ δὲ ἐστὶν ἡγεμονία ἐπὶ τῶν θεῶν*: At verò inter summam potestatem, quæ gentem Israeliticam gubernavit & quæ cæteras gubernat gentes, illud est quod hæc licet occultè à Deo dirigatur, hominibus tamen plene committitur; illam autem ipse Deus maximam partem immediatè exercendam sibi servavit. Disp. de Rep. Fbr. §. VI.

§. VI. Quod itaque potestatem legislatariam concernit, eam sibi servasse ipsum Deum, gentique Israeliticæ leges ad benè constituendam conservandamque Rempubl. necessarias tulisse, adeò liquidum est, ut nemo nisi in sacris literis planè hospes eâ de re facillè dubitaverit. Elucet autem id ipsum ex pluribus V. T. locis, ex quibus pauca attulisse sufficiat. Exod. 15, hæc habentur: *Constituit ei Deus præcepta ac judicia dicens: Si audieris vocem Dei tui, & obediæris mandatis ejus, custodierisq. omnia præcepta ejus.* Similia leguntur Num. 36. *Hæc sunt mandata atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Mosi ad filios Israel in campestribus Moab.* & Deut. 6. *Hæc sunt præcepta, justificationes atque judicia quæ mandavit Deus noster, ut docerem vos.* Insuper etiam de reliquis, qui Mosi successerunt, ducibus idem affirmatur, veluti de Josua cap. I. Cui Deus hanc imperandi normam præscripsit: *Ne recedat liber legis ab ore tuo, sed meditare in eo noctu & interdiu, ut serves cuncta, quæ scripta sunt in eo.* Non solum autem Deus universales leges tulit,

ve.

verum etiam ipse controversas graviores tam circa res civiles quam sacras responsis ex oraculo datis determinavit. Sic Num. 15. exemplum habemus in eo, qui ligna sabbatho collegerat, & Levit. 24. in blasphemio; horum poena cum lege satis clarè non esset determinata Moses à Deo luculentam petiit responsionem, qui iussit ut lapidibus obruerentur, uti loc. cit. fusius hæc proponuntur. Pari modo, si circa res sacras dubium suboritur, Deum consultaverunt; hinc controversiam Num. 19. ubi de contaminatis & peregrè profectis quaeritur, an cum aliis Judæis festum paschatis celebrare ipsis liceat, Moses ad Deum detulit, ab eò exactam hujus rei decisionem requirens.

§. VII. Sed & potestatem constituendi magistratus Deum in Republicà Judaicà sibi reservasse, proreges etiam Judices & vicarios cœlesti aliquo indicio, vel immediato Spiritus sui impulsu constituisse, ex historià divinà satis superque constat. Mosen enim quod concernit, is anno ætatis octogesimo ad montem Oreb greges pascens, divinà & extraordinariâ planè vocatione dux populi designatus est. Exod. III. & IV. Præterea legitimus Deum tempore Mosis etiam alios magistratus ordinasse, quemadmodum Num. XI. Mosen de gravitate oneris conquerentem sic alloquitur: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi sederis, faciesq; ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis, ut sustentent onus populi, & non tu solus graveris & v. 24. Venit igitur Moses & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditq; Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Mose, & dans septuaginta viris. Et cum requievisset in eis Spiritus prophetaverunt nec ultra cessaverunt.* Quod ad Josuæ imperium attinet, certum omninò est, id ipsum ei non sine mandato divino obtigisse. Cum enim Moses ad suos concessurus de futurò populi duce sollicitus esset, Deumque eo nomine consuleret, Josuam successorem denominare, populumque ad præstandam illi obedientiam adhortari jubebatur: Num. XXVII. Josuam secuti sunt Judices, quos itidem Deus rex Israelis tanquam vicarios cum mandatò & delegatâ potestate misit, ut populo ipsius nomine & autoritate præessent. Hinc Judic. II. dicitur: *Suscitavit Jehovah Judices, & liberaverunt eos è manu depredantium eos. & cap. III. Cum clamarent filii Israelis ad Jehovah, suscitavit Jehovah servatorem filiis Israelis, ut servaret eos, Othnielem filium Kenasi fratris minoris eò, & in seq. Egregiè hinc Schmidius: Verbum, inquit, דפרי & suscitavit seu excitavit singularem Dei notat vocationem sive per singularem impulsu movit*

tumque supervenientis Spiritus S. sive per Propheticum mandatum, sive per apparitionem, & si quis alius extraordinarie vocationis modus fuit. Comment. in h. l.

§. VIII. Denique & jus belli suscipiendi gerendique & pacem faciendi penes Deum fuisse ex historiâ sacrâ in propatulo est. Moses enim ducis solum munus obibat & Deo jubente demum arma capiebat. Hinc ipse Jehova, cum populus Israeliticus per inculta locorum oberraret, populum numerari & ordines constitui voluit. Num. I. Cum Israelitæ prodirent in aciem duce nubis ac ignis columna Arca Cherubinis instructa præibat. Si statio alicubi figenda, in mediis castris Dei erigebatur tabernaculum, cui proximi cum suis tentoriis Levitæ erant, sicut sacer scriptor memorat his verbis: *Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum; cum castra metanda, erigent: quisquis exterorum accesserit, occidetur. Metabuntur autem castra filii Israel, unusquisque perturmas & cuneos vexillum suum atq; exercitum suum. Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figant tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, & excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii.* Num. I. Quod Josuam concernit, certum est illum ex mandato Dei bella gessisse. Legimus enim non solum Jos. I. Deum præcepisse ipsi, ut Cananæis bella inferret; verum etiam ut Israelitæ urbem Hajarum per insidias interciperent. Jos. VIII. Id. in quoque de Judicibus dicendum, quibus neque bella gerere sine Dei consensu licebat, neque fœdera inire cum gentibus vicinis, nisi impetrata prius à Domino licentiâ, uti apparet ex Judic. XX. Ex quibus ita diductis oppidò liquet, Deum O.M. potestatem belli gerendi in Republ. Hebræorum sibi reservasse.

§. IX. Theſi sic munitâ reliquum est, ut argumentis, quæ à dissentientibus in aciem producuntur, occurramus. Qui igitur Israelitarum regimen Monarchicum fuisse contendunt, tribus potissimum illud evincere rationibus allaborant, fundamentum suæ sententiæ petentes (1) à submissione populi Mosi factâ Exod. XX. (2) à titulò Regis, qui Mosi tribuitur Deuter. XXXIII. (3) à Juribus majestatis, quæ Mosi libere exercuisse arbitrantur. Quod itaque submissionem populi attinet τῶν αἰματῶν largimur populum Judaicum se Mosi tanquam ministro liberatoris spontè subjecisse, omnemque obedientiam ei promississe; sed verò tantum abest, ut id efficiat monarchiam verè civilem, ut potius absoluta omninò ac libera potestas penes imperantem sit oportet, si forma Republicæ verè Monarchica esse debet, quam tamen Mosi non habuisse è superioribus abundè constat. Quando (2) titulum Regis Deut. XXXIII. Mosi tributum objiciunt, sciendum, Mosi propriè regem non fuisse, adeoque locum illum intelligendum esse

esse uti Vatablus transtulit, quod fuerit tanquam rex; quemadmodum etiam B. Lutherus reddidit: *Er veraltet das Ambt eines Königes. Bene in hanc rem Spencerus: Moses rex dictus est, quod summam post Deum in Israele potestatem exerceret, & ex eò unò penderent omnia, sed nihil inde de Dei jure & auctoritate regia detrahebatur, cum Moses non esset rex ἀνορέδου, sed omnia se Dei judicio gerere profiteretur. & nihil tam impensè desideraret, quàm ut sua omnia in summi regis honorem cederent.* Dissert. cit Sect. I. c. I. Denique (3) ubi Mosen jura majestatis liberè exercuisse asserunt, committunt fallaciam petitionis τῶ ἐν ἀρχῇ, cum in antecedentibus jam demonstratum sit, Deum in Republica Hebræorum ea sibi reservasse; & licet concedamus Mosen illa exercuisse, non tamen propriâ regiaque auctoritate, sed delegatâ & vicariâ potestate iisdem usum esse e sacris annalibus abunde constat.

§. X. Ordo jam postulat, ut illorum rationes sub incudem disquisitionis revocemus, qui Judæorum Rempublicam ante regum electionem, puram fuisse Aristocratiam existimant. Et cum familiam inter eos ducat Arnisaus, operæ pretium erit rationes ejus accuratius perpendere, ita autem disserit: *Venimus ad leges à Mose seu potius à Deo ipso institutas, ut ex Deut. XVII luce meridiana clarius patebit, & hoc disursu nobis demonstrandum incumbit. Cum enim Moses à tam odioso magistratu, quem hæcenus in refractario populo gesserat, sese liberari peteret Num. XI. jussit Deus ex universis seniores, & qui cum magistratu antea fuissent seliggi, cum quibus onus, quod solus huc usque gesserat, divideret. Ejus collegii juris dictio describitur Deut. XVII. Num. XI. & 2 Paral. XIX si qua causa difficilior in portis subnata fuerit inter sanguinem & sanguinem, litem & litem, damnum & damnum & quicquid controversi incidit in portis tuis, surge & ascende ad locum, quem Dominus Deus tuus tibi monstrabit. & postquam veneris ad sacerdotes, Levitas & judicem ejus temporis judicabunt illi, quid æquum sit & justum. Conspicue enim ad hoc judicium revocatur extrema provocatio, quando à portis cause intricatiores transferuntur ad confessum superiorem, & 2 Paral. XIX à judicibus civitatum cæterarum. Deut. XVII in fin. jubentur fratres Hierosolymam ascendere iteratumque subire judicium, cum tantâ comminatione: Quod si sententiam pontificis, qui sessurus sit locò Domini aut supremi Judicis, quisquam contempserit, nec in eâ acquieverit, morte dignum piaculum commississe videatur Deut. XVII. Et quidem negari non potest, quin confessus ille, quem posteri ex græco corruptâ voce Sa nedrin aut Synedrium vocarunt, sine provocacione judicium exercuerit de ipsò*

Pontifice, de tribu, pseudopropheta, majestate & id genus aliis rebus maximi momenti. H. I. l. c. Verum omnia infirmo nituntur talo. Quod enim locum Num. XI. attinet, fallitur Arnicaus, statuens idem fuisse iudicium hoc cum eo, de quo Devt. XVII. & 2. Paral. XIX. agitur. Nam illud jam dudum erat institutum, hoc autem occupata Palestina demum ordinabatur; illud colligebatur ex omnium tribuum hominibus, hoc ex solis Levitis & iudice. Negamus insuper iudicium hoc fuisse illud Synedrium, quod inter Iudeos usque ad Salvatoris nostri tempora duravit. Tandem iudicium Devt. XVII. descriptum non ad omnes sed tantum ad controversias intricatiores pertinuisse ex verbis ipsius legis clarum est, quæ ita sonant: *Si aliqua causa difficilior in portis subnata fuerit.* &c. Ex quibus sponte fluit, non hoc loco cuiquam summam in Republica potestatem esse concessam sed tantum aliquid ad partem pertinens iudicariam, & quidem tam demum cum iudices oppidani inter se convenire non possent. Neque est ut excipias, Deum præcipere isto in loco, ut omnes huic sese submittant iudicio, neque à sententiâ illius recedant: Nam exinde nihil aliud sequitur, quam Deum huic iudicio exercitium ejusdam juris regii concessisse quæ tamen concessio divino imperio nihil derogat.

6. XI. Reliquum tandem est, ut formam Republicæ Israelitarum Democraticam non fuisse probemus. Cum enim aliquando Coritæ statum Republicæ Theocraticum in Democraticum mutare vellent, maximas temeritatis suæ dederunt pœnas, ut legimus Numer. XVI. De iudicibus verò tenendum, quod eorum tempore non fuerit status Democraticus. Licet enim populum quandoque in rebus majoris momenti ad consilia vocatum esse concederemus, certum tamen est Synedriorum potestatem simul obtinisse, Iudices quoque Israeliticos fuisse Vice-Reges. *Sicut namque reges hujus mundi in longinquiorebus maxime regnorum suorum partibus, in quibus ipsi præsentibus esse non possunt, negotia regia per vicarios suos, quos vice-Reges vocant, cum delegatâ potestate regiâ missos, administrant: ita Deus rex Israelis, non propter absentiam & infirmitatem, sed quia visibiliter populo suo præesse non voluit, Iudices tanquam vicarios cum mandato & delegatâ potestate misit, ut populo ipsius nomine & auctoritate præessent,* inquit Schmidius Proleg. in Com. ad Lib. Jud. p. 19. in destruentâ verò sententiâ illorum, qui Rempublicam Israelitarum Mixtam fuisse affirmant, non est quod multum sudeamus, siquidem falsitas hujus assertionis ex antea dictis satis superque constat; hinc colophonem huic dissertationi imponentes eum, qui plura de hâc materiâ desideraverit, ad citatos supra autores remittimus.



AB: 153 137

ULB Halle 3
003 898 784




VD 18


56.

R

WAT







n *13*
I. N. 7.
DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA
DE
**THEOCRATIA
ISRAELITARUM,**

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
**DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,**

REGNI PRUSSIAE, ELECTORATUS ET PROVIN-
CIAR. BRANDENBURG. HÆREDE &c. &c. &c.
CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,

PRÆSIDE
M. GEORGIO Schultz|
REGIOM. PRUSS.

Eruditorum Examini subijcit,
CHRISTIANUS HEIN, Reg. Pruff.

A. & R.
Anno M DCC VI die Mart.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.